M. Saigrichez

E. Gob Low

ÆTAS

Ab Origine Conditæ Generalis Regni Scholæ Universitatis Cracoviensis prope novies,

QUINQUAGENARIA,

IX. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis,

per

CLARISSIMUM & ADMODUM REVERENDUM DOMINUM

D. M. STANISLAUM PATELSKI,

Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Collegam Minorem, Seminarii Academico-Diœcesani Crac: PRÆFECTUM.

In publica Dignissimorum Hospitum præsentia, Ad Gradũ Baccalaureatûs AA. LL. & Philosophiæ Promotis; in memoriam

REVOCATA;

& à

SIMONE BONAVENTURA BANACZKOWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidato; Applaudente Novenario Musarum Choro, per Dicta & Sentimenta Sapientûm Virorum, ad justè, piè; simulq; Christianè vivendum permoventia,

ENUMERATA.


Annô, Quô

PræsIDebat ReCtor ChorIs AngeLorVM.

Die verò 20. Mensis Maji.

CRACOVIÆ, Typis ACADEMICIS Collegii Majoris.

In Gentilitium Stemma
PERVETUSTÆ ET INCLYTÆ
BEŁDOVIANÆ Domûs.



I.

Quid gressus SOLEÆ palmares? quidvè volatus
ACCIPITRIS faustos? CRUX Sacra crede facit.

II.

Ungve CRUCEM gestans, pugnaces præparat alas,
Pro CRUCE dextra uncô, dextra AVIS & calamô.

III.

Aurea quàm spectas SOLEA est, pretiosior aurô
CRUX; gazas superat Persidis una Domus.

ILLUSTRISSIMO
& REVERENDISSIMO DOMINO,
D. ANTONIO BEŁDOWSKI,

Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ Tarnoviensis PRIMICERIO, Parochialiū in Przecław & Dąbrowa PRÆPOSITO, JUDICI ad Tribunal Regni DEPUTATO, Cracoviensis Consistorii SURROGATO.

Domino Protectori & Benefactori Singularissimo.

P*Rimas in Artibus & Philosophia Laureas, quibûs Jagellonea Pallas, novellam suam cohortem, post exactum probatorum sub tempus ingeniorum certamen munerat & coronat, nulli meliùs & convenientiùs quàm Tibi Tuoq; poteram dedicare Nomini,* Illustrissime & Reverendissime Domine. *Veteribus equidem Romanis ad Mavortia bella hostilesq; euntibus conflictus, bonæ alites reportandarum certa omina Laurearum*

ferebant, nobis Ales Tuus Gentilitius recenter reportatas, felici auguriô & optimîs quibusvè retinendas auspiciîs consignat. Laurigeræ frondes, doctarum gloria frontium, si ab innutrita Scholasticîs umbrîs Palladiana noctua, auspicatos florentissimi vigoris desumunt auctus; quidni Tuo ab Alite per continuos publicæ lucis exploratissimo usus, longè auspicatiora nunquam emarcidi honoris incrementa desumant? Solis eruditi germina Philosophicæ Laurus, solarium radiorum ope evocantur in lucem, solaris beneficiô luminis crescunt, foventur, conservantur. Quod à Sole, hoc illis & Tua beneficium à Solea, *quæ non Nomen tantùm à Sole derivatum habet, ast etiam ipsius æmulîs Phæbi luminibûs fulget. Tam* Accipitris *Tui quàm* Soleæ *Nomen, prima statim ab Origine sua, vel Sacris vel Civilibus coronatum Trophæîs, nunquam posthac nisi omni Laurearum genere insigne auditum, Laureis erat estq; semper ominosissimum. Auream* Accipitri *Gentilitio* Soleam, *sub* Boleslao Chrabri *ex eo accessisse, quòd primus ex* Domo *JASTRZĘBECCIA Illius Inventor, soleato sonipede fretus, in arduum Calvi Montis (qui ad præsens Mons Sacræ dicitur Crucis) eluctatus clivum, & in hostiles invectus acies, tumidum insultantium Christiano militi paganorum calcaverit fastum,*

aliqui

aliqui Hiſtoricorū referunt. (a) *Alii cum* Czecho Principe *aureis fulgentes Soleis JASTRZĘBECCIOS in Bohemiam,* (b) *cum* Lecho *autem in Polonas adveniſſe teſtantur oras.* (c) *Sive verò Bohemi, ſive primum Soles Poloni, Soleam generoſo ſociatam viderunt Aliti, id omninò indubitatum eſt, quòd omni ſub Sole, omni ſub climate, palmaria Soleæ veſtigia, volatus* Accipitris *ſemper triumphales fuerunt. Ne quid verò ex victricibus ſignis Pervetuſtæ defuiſſet Domui, ad amplectendam Orthodoxam fidem inductus ab uno ex JASTRZĘBECCIIS* Miecislaus Polonorum Princeps, *victorioſiſſimam* Crucē *in medium* Soleæ *Orbem deduxiſſe exhibetur.* (d) *Singula quæcunq; in Gentilitium Tuum* Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, *cóaluerunt Inſigne decora, palmaribus parta triumphis, cum eruditis amicæ veniunt in fœdera Laureis, ſingula illis optima omina præbent, certumq; præſidium ſpondent. Habes* Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine *Gentilitio Tuo in Stemmate plurima Domeſticæ Gloriæ Symbola, habes Nobiliſſimi Sangvinis inſignibus in Polonia cum Familiis numeroſos nexus. Colligata Tibi Nomina longô recenſenda ſyllabô, cùm brevis non capiat pagina, liceat ſaltim innuere, quòd cū ſola* Illuſtri ac Magnifica Domina

(a) Paprocius, fol: 827. Stemm: (b) Balbinus. (c) Nieſieccius.
(d) Paproc: in Strom:

mina *MARIANNA*, Illustris olim ac Magnifici Domini *ANDREÆ de Zydowo ZYDOWSKI*, *Castrensis Cracoviensis* Judicis, *ejusdemq; Palatinatûs* Vexilliferi Filia, *ad maritales ab ANTONIO BEŁDOWSKI, delecta thalamos, per germanam Sororem suã SUSANNAM*, Illustri olim ac Magnifico *ALBRACHTO* de Dembiany *DEMBINSKI*, *Ducatuum Zatoriensis & Oświecimensis* Vexillifero *nuptam, duorum Filiorum* Illustris ac Magnifici Domini *FRANCISCI Zatoriensis & Oświecimensis Ducatuum* Vexilliferi, *& JOANNIS Cracoviensis* Pincernæ, *Matrem fœcundam* ; *MARIANNÆ DEMBINIÆ SIGISMUNDO primùm Oycoviensi* Capitaneo, *Exercituũ Regni Generali; votô ad præsens secundô IGNATIO de Załuskie ZAŁUSCIO*, Archimageridæ *M. D. Lithvaniæ*, Capitaneo *Zawichostensi nuptæ Amitam, Præstantissima ZAŁUSCIORUM, ŁUBIENIORUM, DEMBINIORUM, GRABSCIORUM, NOVODEMBINIORUM, TĘGOBORSCIORUM, WILSIELSCIORUM, WILKONSCIORUM, MOSZCZYNIORUM, SZCZAWINSCIORUM, PRUSZYNSCIORUM, PAPROCCIORUM Nomina, BEŁDOVIANO cognata acceßerunt Nomini, Illudq; purpureo quodam illustraverunt jubare*. Accipitri *Paterno sociavit clarissimos Pervetustæ* Domûs *&* Nomi-

minis *decores, Gentilitius* C *A T H A R I N Æ W I E R U S Z O V I Æ Matris Tuæ Caper. Prænobile hoc animal, non terris solùm etiam supernis acceptatum Astris, in Saxonia primùm ac Misnia natum, & nutritum, in Poloniam tandem adventitium ex Germania, in Mavortia hac Gente, magno semper in honore habitum. Partibus suis discolor; ast diversas nunquam svetum variari in formas, propter illibatam fidem Principibus semper servatam suis, propterq́; rigidissimum veritatis cultum, Nomen WIERUSZOWÆ sortitum, quotquot sua protulit è Stirpe Viros, omnes* (e) (*attestante Historico*) in rebus arduis, Regibus Poloniarum fide & constantiâ comprobati, omnes Viri prudentes, sagaces, strenui fortesq́;, & in rei militaris peritia semper excellentes fuere. *Patriorum Annalium fides, remotioribus sæculis WIERUSZOVIOS à servata Regibus fide, & militari cõmendabat dexteritate, præsens sæculum Patruelem Æstimatissimæ Matris Tuæ* Illustrissime & Reverendissime Domine *Fratrem, Equitem Melitensem utroq́; commendatissimũ observavit titulô. Ista Tibi* Illustrissime & Reverendissime Domine *tam Paterni, quàm Materni Generis claritas, quæ ad omnem laudis adoream, ad omnem Nominis dignitatem, una sufficeret. At verò Tu parum ducens clarum eße ab origine sola, illustre utrumq́; Genus, virtutibûs Tuîs*

(e) Idem Pap: Stem: f. 532.

illustrius, acceptam à Majoribus gloriam, gloriosissimis actionibus effecisti & facere non desinis majorem. Gentilitio cũ Accipitre *Minervalem à teneris comitatus noctuam pro pulcherrima eruditi animi præda literaturam omnem facillimô obtinuisti aucupiô. Avitâ* Soleâ, *ceu potenti Bellerophontis ungulâ, & potiùs valido seduli Ingenii nisu, arduis Parnassi cavatis rupibus, totum Heliconem, & Castalium elibâsti totũ. Fluenta Tullii & Stagyræ Eurippum, intra vastæ mentis deduxisti margines, nec tanto doctarum undarum affluxu, plenè sedari poterat ferventissima animi sitis, immensusq́ quidã sciendi ardor. Post omnes humaniorum Scientiarum gradus, ad Gradum in Philosophia & Artibus utrumq́ ivisse placuit. Nobilissimæ Genesi & Avitis Decoribus, Doctorales Titulos, eruditorumq́ ornamenta associari Virorum, pro singulari veræ & non emendicatæ gloriæ reputâsti incremento. Submisisti libens Philosophicis doctam frontem Laureis, Victor olim animorum futurus, & ipsarum Laurearum Corona. Ante Regale Sacerdotium, Regiæ primam litare ætatem voluisti Palladi. Initiatus Sacris, pientissimum ad Numinis Aras agebas semper & agis Flaminem, pro Sacrorum reverentia, pro Altarium honore, pro cultu DEO debito Mystem zelosissimum. Agis in CHRISTI Ovili Pastorem longâ indefessum vigilantiâ, in Vinea Domini Opera-*

perarium, assiduis infractum laboribûs, in concreditis Tibi Ecclesiis, Prælatum regimine, curâ, solicitudine, alias omnibûs (ut ajunt) numerîs absolutum. Regis commißas Tibi Oves summâ prudentiâ, custodis attentione summa, pascis Divinæ Verbô scientiæ, confortas opere, exemplô consolidas, factus forma gregis ex animo. Quæcunq; Tibi dignissimo Prælato obtigerunt Ecclesiæ, præfuisti illis, & praees laudatissimô gubernió, profuisti & prodes multiplicî beneficiô; Maxima hæc pientissimæ Tuæ menti incumbebat & incumbit cogitatio, ut Sponsas CHRISTI & Tuas, vel per temporum injuriam, vel per incuriam hominum, decoribûs orbatas suîs, destitutas supellectilî, squalore confectas, ruinîs pressas; ornatas, circumamictas, debitisq; Divinæ Domui nitentes splendoribûs redderes & reddas. Beneficia quæ poßedisti & possides, singularem Tuam nunquam desinent loqui beneficentiam. Loquitur eandem Preclaviensis præ primis Ecclesia, quodq; è mediis elevata ruinis, ad tholum & decentissimũ aßurrexerit fastigium, liberali Tuæ manui debet. Gaudet Dąbroviensis Te suo Rectore & Benefactore simul. Magnîs Te multæ expectant desideriîs, à Quo alias & regi vident & erigi. Præcipua Tua Divinas in Ædes munificentia, in DEUM pietas, in factis prudentia, in operibus probitas, authoritas in moribus, gravitas in dictis,

Magnis Cracovienſibus Præſulibus commendatiſſimũ Te fecerunt, & maximis quibuſvę parem officiis, certiſſimo exhibuerunt eventu. Suſpexerat in Te præcellentia integerrimi & ſapientis animi ornamenta, Eminentiſſimus olim *JOANNES à Lipe LIPSKI, Sacræ Romanæ Eccleſiæ* Cardinalis, *Cracovienſis* Antiſtes, *æviternâ memoriâ dignus, eaq; magna æſtimatione proſecutus,* Decanum *Te Mielecenſem conſtituit. Vacante poſt fata Optimi Præſulis Sede, nõ Tibi ab oneroſo Delegati Tarnovienſis* Judicis *vacare licuit Officio. Ampliſſimã Diœceſem Paſtoralibûs Regens ad præſens curis* Celſiſſimus Princeps, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus *ANDREAS in Załuſkie ZAŁUSKI, Cracovienſis* Epiſcopus, *perplexa quævis negotia infra Tuæ ſphæram activitatis, è ſupremi ſpecula judicii obſervans, Decanatui Pilznenſi Te circumſpectiſſimum Argum, cùm* Viſitatorem *Generalem; Spiritualibûs in eodem Decanatu dijudicandis cauſis, Te prudentiſſimum* Officialem *præfecit. Poſt tot oneroſa in Eccleſia Dei negotia ſumma cum laude à Te exacta, ad Vavellanum Stallum & Coronarum tergeminum deveniſti decus; Cathedralis Cracovienſis* Canonicus, *non cæcô fortunæ ſuffragiô, ſed ſolo magnorum meritorũ reſpectu & juſtiſſima excellentiũ appretiatione virtutum ad Perauguſtum hunc aſsumptus honorem. Meritus de eo eras, omni*

mni

mni meritorum genere, antequàm illum obtineres, mereri nõ desinis etiam post obtentũ. Non in cassum cessit, qui Tibi Vavellanis venit à Coronis & decor & Honor. Ornârunt Reverendissimis Te illæ Titulis, Tu illas reciprocè ornas & appretias, virtute, prudentiâ, activitate quâ privatim, quà publicè summa cum laude absolutis in functionibus probatissima. Nullis Te quantumvis operosissimis laboribus subtrahis, nullis etiã difficillimis submoves negotiis, invictus utrisq; & infractus. Magno disertissimi cum plausu oris, auditus es Sacro non ita pridem ex suggestu, pro laudibus Poloni Martyris, Cracoviensis Antistitis D. STANISLAI SZCZEPANOVII elaboratissima Concione perorans. Surrogatus *Generalis Cracoviensis Consistorii* Judex; *ad præsens Supremum Regni ad Tribunal, è Perausgusto DEPUTATUS* Capitulo, *pro exacta sanctæ administratione Justitiæ implendisq; sitientium eandem desideriis, omni conatu, diligentia, & solicitudine allaboras. Divam præter Themidem, fides Tua animiq; integritas, magnis in Republica adeò spectata enituit Viris, ut legibus mortalitatis fungens* Illustris olim ac Magnificus *JOANNES REY, Pilznensis* Venator, *suscepta ex CATHARINA de Zmigrod STADNICKA,* Castellanida *Belzensi, carissima Sua pignora, Tuæ per ultimas Tabulas cõsigna-*

ſignaverit tutelæ. Principib9 placuiße Viris, aliis rarò contingens, Tibi ita peculiaris gloria, ut Illuſtriſſima illa Nomina, quorũ æſtimationem poßediſti & affect9, longũ & numeroſũ conficerent ſyllabũ, ſi recenſenda venirent. Venio ego pron9 cùm novellis JAGELLONICÆ Palladis germinib9, recenterq́; lecta cohorte Illuſtriſſimi *Tui debitã in adorationem* Nominis, *Primas in Academia obtentas* *Laureas, plantis primi* Mecænatis *mei venerabundus adſterno. Quas olim eruditiſſimum admiſiſti in verticem, eaſdem ad præſens, quòd deſideratiſſimam mihi ſub Protectionem admittes, minimè dubito. Accedet illis peculiaris Tua à dignitate gloria, veniet certa ab authoritate tutela. Utriuſq́; præſidio, ego me humilimè commendans, pro longæva incolumitate Tua, Superna Numina CANTIANAS indeſinenter fatigabo ad Aras.*

Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ, Protectoris & Mecænatis mei ſingulariſſimi.

Devinctiſſimus Cliens & Cultor.

Author Operis.

SæCVLorVM ProDIgIo & Coronæ
ACaDeMIæ FVLCro & BasI
B. IOANNI CANTIO SaCræ TheoLogIæ
DoCtorI aC ProfessorI
PatrIarChæ SanCto CeDat.

Carmen Votivum cum Epigraphe

Cultor & Antistes Doctorum Sancte Virorum. *Ovid: Lib 3. Trist: Eleg: 14.*
Omnî Nobilior lustrô Tibi gloria Soli *Claudian: in Consul: Prob:*

DOgmata cum metris cunctos digesta per annos,
Quos numerat Regni Cracia Musa, cano.
Excipias placido cum vultu Dive JOANNES
Hoc opus, & timidam dirige quæso manum.
Ex elegisq; levem non aversatus honorem,
Cultori grato, munere gratus ades.
Suscipe Dicta favens Authoribûs eruta priscîs,
Quæ signant annos Matris habentq; Tuæ.
Providus è Cælis Vates rege Vatis habenas;
Auspice Te felix omnis ut annus eat.
Affer opem Matri, cujus secura favore,
Pacata valeat rite quiete frui.
Affer opem Musis, toti Gentiq; Togatæ,
Et revehas nutu prospera Lustra Tuo.
Lætas illa dies Lechiæ fuit orsa Calendas,
Cùm tenuit Sanctum Te Schola nostra Virum.
Non ita Threjiciîs cecinere Propontidis Orîs
Musæ, quas quondam Græcia docta tulit.
Non ita Romana plauserunt Urbe Camænæ,
Dum jactas artes Quintiliane tuas.
Ferrea dumq; tuîs contundis pectora verbîs
Per Latias Cicero gloria magna Plagas.
Ut sonuere hilares plausus Heliconis Alumni,
Cùm blando Matris susciperere sinu.

Tunc Pietas hominum cuperet si fingere mores,
Ars quoq; si placido vellet ab ore loqui.
Utraq; virtutum tenerum simulâsset Alumnum,
Inq; Tuo potiùs Corpore Sancta foret.
Successere dein probitati præmia justa,
Laurea cùm cinxit Teq; Caputq; Tuum.
DOCTOR eras: Divûm pandens oracula dignè,
Audisti Cælorum aureus esse Tripos.
DOCTOR eras: dictus communi Pantheon ore,
Numinis excelsi prodigiumq; novum.
DOCTOR eras: verbìs, simul exemplìsq; relucens,
Et faciens, poteras quæ docuisse; probè.
Quidquid splendoris Virtus habuisset ubique,
In Te collegit lumina clara velut.
In se perplexi retinebant dogmata quidquid,
Id tulerat docti pectoris Ara Tui.
Dulcia Pierii, tendens nunc barbita plectri,
Nunc zeli Sancto nectare corda trahens.
Et STOÆ Cathedras, & pulpita Numinis Alti
Implêsti docti dotibus ingenii.
Sed quia non magnas retinent mea carmina vires,
Nostraq; sunt meritis ora minora tuis.
Te celebrent alii, quanto decet ore, Tuasq;
Ingenio laudes uberiore canant.
Elogiis recolant peregrinæ incommoda vitæ,
Atq; Solymæi Regna petita soli.
Ilcussum, regimen poterit memorare per annos
In Pastoritio munere quinque vigens.
Quòd trinos hostes, mundum carnem atq; sathana
Viceris, hoc celebris fama loquatur opus.
Nos devota Tibi pro donis corda litamus,
Pronas PATRONO fundimus ore preces.
Ut seniô gravidæ Matri tranquilla supersint
Tempora, cedat ei Cælitùs omne bonum.
Protege primigenos, humiles tueare Clientes,
Da Tibi nos cunctos vivere daq; mori

Illustri-

Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis

DD. EXAMINATORIBUS,

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Dno,

D. M. ANTONIO WOYCIECHOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; Regio PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Cracov: SCHOLASTICO, interea Artisticæ Facultatis DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Dno,

D. M. PETRO FILIPOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, ejusdemq; ac Cursûs Vladislaviani Regio PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum Colleg: S. GEORGII in Arce Crac: CUSTODI, S. ANNÆ CANONICO Zielopolsciano.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Dno,

D. M. STANISLAO BARANSKI,

Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Minori, Eccl: Colleg: Sanctorum Omnium Cracov: CANONICO:

CARMEN VOTIVUM

Cum Epigraphe

Multa Viros meritis sustentat fama trophæis *Virgil: Libr: 11. Æneid:*

NUnc ego Parnassi cuperem conscendere culmen,
Quod Phœbi radios spargit utriq; Polo.
Nunc ego Castalium vellem petiisse fluentum,
Quod recreat mentes murmure svavè vagas.
Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas Perseû Dædale sive tuas.
Vobis Laudis apex, & honos ut summus adesset,
Præclari meritis & probitate Viri.

Cumq; per innumeros studio flagrante decores
Excurro, quali Vos ratione colam?
Quis potior titulus? quod agat præconia carmen?
Inclyta quæ Vestrum Musa trophæa canat?
Invenio solas, Vobis data præmia, dotes;
Dotes ingenii pignora magna probi.
Hinc ut Vos merita possim depingere laude,
Pro dono Vobis, Vos quoq; jure dabo.
Exæquas omnes venerando Nomine laudes,
Mensuramq; meis versibus ipse facis.
Gloria prima Sophûm, Craciæ splendorq; Palæstræ
Plausu per decades digne DECANE novo.
Hìc Tua cuncta patent metrico conjuncta labori,
Carminibûs colitur res Tua tota meîs
Scilicet insignes ubi doctæ mentis honores
Artibûs excultum concelebroq; Caput;
Palladias dotes à Te didicisse Juventam,
Quodq; Tuo gravior Tullius ore sedet,
Eloquii pretium, centumq; simillima gesta,
Virtutis studium dum cano grande tuæ;
Hoc non à versu, sed ab alta dote petitum est,
Nec quid ab ingenio posteriore capis.
Illa Tuæ probitas mentis, candorq; decorq;
Num poterunt nostrô plus valuisse metrô.
Trina Decanalem decorantia munia spartham
Num valeant elegi laude notare breves.
In Sophico bis consummata Professio Cursu
Num quit in instanti carmine rite cani.
Singula præcipuîs recolat benegesta futura
Elogiîs Ætas, sat voluisse mihi.
Obruta prægrandi meritorum mole priorum
Jam voluit placidâ Musa quiete frui.
Cùm rumpit requiem magnarum nuntia rerum,
Fama per immensas sveta volare vias.
Hanc stupeo, profugâq; sequor, peto quid velit ultra?
Excipio tales protinus aure sonos.

Non

Non adeò Vates tenuis tibi Campus aratur,
Quô nequeant artis ſemina plura capi;
Ex quibus aſſurgant in fruge priore SECUNDO
ARBITRO mentis Laus, Honor, atq; Decus
Hic celebrandus adeſt laudum majore cothurno,
Quinque fere luſtrîs qui nitet arte Scholæ.
Hic celebrandus adeſt: Cujus facundia lingvam
Ornat, qui pretium Palladi ſpemq; tulit.
Quid memorem rectæ conſortia ſvavia vitæ?
Quàm felix: cum quo conſociatus adeſt.
Ille pari rurſus cuivis redamatur amore,
Ac eadem ſupplet vita duobus opem.
Dilectæ cunctos demulcet ſidere frontis,
Plus ut Eo quivis nil habuiſſe velit.
Ejus in omnigenos mitis propenſio manat,
Ut quid Ei blandi vix ſupereſſe putem.
Cordis eas potiùs non oris dixero voces,
Quas adhibet monitis imperiisq; ſuis.
Si manſvetudo dignîs imitanda tabellîs,
Illius & Charites funderet ore ſuas.
Si quos blandus amor cuperet ſibi fingere vultus,
Corpus ab exemplo ſumeret omne Viri.
Scire velis? ſi plura? (volans ait ordine fama)
Reſpice, qui ſequitur TERTIUS, ecce Virum.
Quem ſi Palladiis dicas à Viribus? Athlas,
Si à virtutibus? eſt in probitate Probus.
Illius omne genus laudum narrat Schola Regni,
Cujus ſexenni jura labore tulit.
Grammaticæ verbîs ſelectîs congruus arti,
Cùm delectavit, profuit inde metrô.
Majeſtas Svadæ Logices argutaq; forma,
Claruit in docto Sol ut in Orbe Viro.
Ut nihil ad culmum meritorum pæne deeſſet;
Muſarum Culmæ Regia ceſſit Hero.
Cætera quid memorem? quòd Ei contermina virtus
Sit, quòd Ei ſemper candida vita placet.

Audieram placidè præconia tanta Virorum,
Fama ſed in Superas cæperat ire Plagas.
Quas Vobis laudes, quos declaravit honores
Ternio floreſcas his, ego vota dico.
Vivite Palladiæ lectiſſima gloria Gentis,
Et Jageloniacis fama beata tholis.
Vivite longævi: Vobiſcum vivere ſemper
Dulce Clientibus eſt, & mora ſvavis amor.
Vivite laurigerîs donîs & honoribûs aucti,
Donec Vos Cœlô præmiet Ipſe DEUS.
Solus ego licèt hæc nequeam ſubſcribere vota,
Sed tamen ex aliis mentibus ire probo.

ÆTAS

à condita Regni Generali Schola Univerſitate Cracovienſi prope novies,

QVINQVAGENARIA,

IX. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis,

EXHIBITA.

I. V. D. SIMONI BONAVENTURÆ BANACZKOWSKI,

Prima Quinquagena

Per ſingulos Annos ſingulis Sapientum dictis enumeratur.

1. Ante omnia primum exiſtima, DEUM colere oportere. *Plato de Leg.*
2. Ne malè conſilium, ne vitæ curſus aberret, ſit vitæ Chriſtus Norma ſcopusq; tuæ, *In Del. Poët. Germ.*
3. Non te moveat dicentis authoritas, nec quis, ſed quid dicat, intendito. *Senec. de 4. Virt.*

4. A prim-

4. A principio videndum, quemadmodum velis venire ad extremum. *Cic: Orat.*

5. Imbecillioribus ingeniis necessarium est aliquem præire, ut dicat: hoc vitabis, hoc facies. *Senec. Epist. 94tâ.*

6. Si boni esse volumus, omnia adjumenta & auxilia petamus bene vivendi. *Cic. Lib. 4. Tuscul.*

7. Conscia mens recti tibi murus aheneus esto, Hac fretus, tutò limina Mortis adi. *In Del. Poët. Germ.*

8. Quotidie aliquid compara, & cùm multa legendo percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. *Senec. Epist. 2.*

9. Laudabiliùs quæ dicenda & facienda sint, discere, quàm quæ nescimus, docere. *Nazianz. Orat. 21.*

10. Multorum disce exemplô, quæ facta sequaris, Quæ fugias; vita est nobis aliena Magistra. *Cat. Lib. 3. Metr. 29.*

11. Unam semel ad quam vivas Regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exæqua. *Senec. Epist. 20.*

12. Egressurus domô tecum expendito, quid foris agere velis: domum ubi redieris, quid egeris, reputato. *Cleob. Lindi. in Sent.*

13. De dubiis non definias, sed suspensam teneas sententiã. *Senec: de 4. Virtt:*

14. Non quibusvis credere oportet, sed prius considera, an vera dicantur. *Plato Tom: 3tio. Dialag:*

15. Suspicio non est leviter removenda, sed acri Falce; nisi hanc reprimas, invaluisse doles. *In Del: Poët: Germ.*

16. Ne tibi quid desit, quæsitis utere parcè. *Cat: Lib: 1. Metr: 46.*

17. Si vis senem agere, & implere vitam, non annis adjiciendum, sed voluptatibus detrahendum. *Senec: Epist: 20ma.*

18. Ore prius DEUM habeto, & mente, quàm respires. *Sixt: Phil: Sent: 279.*

19. Convivia externa, & popularia devita. *Epic: in Enchird: C. 45.*

20. Animadverte, quod sensu tibi carendum sit post mortem, omniq; voluptate: & vermium quondam vastitatem tibi ob oculos repræsentato, ut non in alteram vitam sis moriturus. *Plat: Tom: 2dò.*

21. Victus tibi ex facili sit, nec ad voluptatem sed ad cibum accede. *Senec: de 4. Virtt.*

22. Vincere cùm possis, interdum cede sodali, Obsequio quoniam dulces retinentur amici. *Cat: Lib: 1. Metr. 66.*

23. Vive memor mortis, ut sis memor & salutis. *Chilo Lacedæmon: in dict.*

24. Non sæpius quære, potius scientiam quàm nescitiam simula - - - - - *Maximil: Fredro.*

25. Pars est prima prudentiæ, ipsam, cui præcepturus sis, æstimare Personam. *Pallad: Titulo primô.*

26. Si vis beatus esse, si fide bona vir bonus, sine, contemnat te aliquis. *Senec: Epist: 21ma.*

27. Non amplius possideas, quàm usus corporis poscit. *Sixt: Phil: Sent: 102.*

28. Sis sinè exprobratione correptor, ita, ut admonitionem hilaritate prævenias. *Senec: de 4. Virtt.*

29. Quantò superiores sumus, tantò nos submissius geramus *Cic: Lib: 1. Offici.*

30. Quidquid promiseris, facito. *Pen: Corinthius.*

31. Rebus mundanis, in causis tantùm necessariis utere. *Sixt: Phil: Sent 16.*

32. Qui Stygias tecum nihil hinc portabis ad undas,
Quò frustra miseras quæris avarus opes? *In Del: Poët. Germ.*

33. Absentiâ sæpe authoritatem tueare. Continuus aspectus, minùs verendos homines, assidua satietate facit. *Maximil. Nil: Fredro.*

34. Metuenda declina, & quidquid consiliô prospici potest, prospice. *Senec. Epist. 91.*

35. Malis indisertam prudentiam, quàm stultam loquacitatem. *Gell: 1. 15.*

36. Cum gravibus ambula, levi culorum conversatione delectaberis quidem, sed tandem deturpaberis. *Maximil. Fredro.*

37. Rebus secundis ne efferaris, adversis ne dejiciaris. *Cleob. Lind. Sent 6.*

38. Quodcunq; læsurum est, multò antequam accidat, speculare & averte. *Senec. Epist. 98va.*

39. Non æstimatos, juvenes, minorennes, temulentos item, verbo, multò magis conversatione vitabis. *Maximil: Fredro.*

40. Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse,
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. *Cato Lib: 6. Metr. 40.*

41. Si prudens est animus, tribûs temporibûs dispensetur: præsentia ordina, futura provide, præterita recordare. *Senec: de 4. Virtt.*

42. Mente senex fias, docili florente juventa:
Non ævô imple annos, sed ratione tuos. *In Del: Poët: Germ.*

43. Non debes aliis detrahere, quod uni sis obsequentior. *Plut. Probl. 2.*

44. Sales tui sint sinè dente, joci sinè vilitate, risus sinè cachinno, vox sinè clamore, incessus sinè tumultu. *Senec. de 4. Virtt.*

45. Maleficii quàm beneficii potius immemores simus. *Liv. Lib. 7.*

46. Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ *Cic. pro Rabir. & Ver. 4.*

47. Quòd potu peccas, ignoscere tu tibi noli:
Nam nullum crimen vini est, sed culpa bibentis. *Cat. Libr. 2. Metr. 50.*

48. Facta secretus tene, facienda multo magis. *Maximil. Fred.*
49. Tristitiam si potes, ne admiseris: sin minùs, ne ostenderis. *Senec. de moribus.*
50. Consulta oportet operari velociter, consulere autem tardè. *Arist. Ethic. 6.*

MUSA CLIO
Nomine VV. DD. ConCandidatorum SIMONI BONAVENTURÆ BANACZKOWSKI, Vti Authori Operis Superaddit plausum cum Lemmate:

- - - Tàm pulchris aspirent Numina cæptis, *Marcel: Paling Lib: 10.*
- - - Durabunt Vatis honores *Lucan: Lib: 9.*

INclyte Castaliæ Juvenis placidissime Musæ
Sat nequeo dotes appretiare tuas.
Intueor vultu venerandæ lilia mentis,
Ad quæ pallescis Phæbe macesq; sacer.
Observo gestus humiles, frontemq; pudicam,
Ad quam quisq; potest infimus esse stylus.
Mens pacata Tibi, pleni dulcedine mores
Excubat in lætis gratia compta comis.
Fertile pectus habes, virtutibus undiq; magnis
Das faciles aditus, pandis iisq; viam.
Laudibûs eloquii suavi cum nectare certas,
Facundo suadæ fundis ab ore sonos.
Has Numen dotes de Cælo prosperet alto,
Durabit Vatis tumq; vigebit honor.

C II. V. D.

II. V.D. BARTHOLOMÆO FRANCIS: BERGIER,

Secunda Annorum quinquagena exhibetur.

1. Divinum Numen placandum est, atq; demulcendum precibûs & sacrificiis. *Plato Tom. 1. in Dialog.*

2. Si vis cum lætitia animi vivere, noli multa agere: in multis enim actionibus minor eris. *Sixt Philo: Sent. 253.*

3. Ne bene vivendi rationem differ in horas: Hic magni esse solet nam mora causa mali. *In Del: Poët. Germ.*

4. Imitare si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina. *Tert Lib. 1. in Marcion.*

5. Longè discedendum est ab omni obscænitate verborum. *Senec Lib. 1. Contr. 2.*

6. Non moliaris, nisi quæ præstare potes, ne prodas impotentiam. - - - - *Maximil Fredro*

7. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum Superiorem velles vivere. *Senec. Epist. 47.*

8. Quæ gratìs accipis à DEO præsta gratìs. *Sixt. Phil. Sent. 233.*

9. Pacem cum hominibus habeas, cum vitiis bellum. *Senec: de Moribus*

10. Omnibûs modìs fulciendi sunt, qui ruunt. *Cic. Lib. 3. Tuscul.*

11. Maluerim verìs offendere, quàm placere adulando. *Senec. 2. Clem. 2.*

12. Si pulcher es bona fac: si deformis, naturæ defectum bonìs actibûs compensa. *Demetr. Phaler.*

13. Nescientiam simula rei, quò magis omnia scis. *Maximil. Fredro*

14. Vita quid est hominum? subiti quàm temporis usus? Ergo bene & parcè tempus habere decet. *In Del. Poët. Germ.*

15. Ut felicitatis est, quantum velis, esse; sic magnitudinis, velle, quantum possis. *Plin. in Panegyri.*

16. Amicos plures habere multis gloriosum, reprehensioni nemini fuit. *Idem, Lib. 5. Epist. 3.*

17. Omnis vitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in aliis, facere ipsi velimus. *Fab. Lib. 10. Cap. 2.*

18. Non svaserim, uni se alicui propriè, quem per omnia quis sequatur, addicere. *Idem Ibidem.*

19. Doctrinâ anteire malis, quàm copiis atq; opulentiîs. *Gel. Lib. 20. Cap. 4.*

20. Nec parva exempla recense, sed quæ sola mens dignetur vincere. *Stat. Sylv. Lib. 4.*

21. Is

21. Is maximè audiendus, cujus dictis facta conveniunt. *Plat. Volat Lib. 28.*
22. Quorum gloriam miraris, eorum res gestas imitare. *Isocr. ad Nicol.*
23. Rara temporum felicitas, ubi sentire, quæ velis & quæ sentias, dicere licet. *Tacit. Annal. Hist. 1.*
24. Vide non videndo omnia. *Maximil. Fredro.*
25. In malis mæstitiam, in bonis dissimula effusam lætitiam. *Idem*
26. Eos in amicitiam pertrahe, qui plus apud alios possunt. *Idem*
27. Quemq; diem examina, an amicum paraveris aut amiseris, & cura ut pares. *Idem*
28. Commoda ne tribuas vitiosis tempora rebus: Quæ fugiunt, nullo sunt reditura pede. *In Del. Poët. Germ.*
29. A verbis turpibus abstineto, quia eorum licentia impudentiam nutrit. *Senec. de 4. Virt.*
30. Iratus de re incerta contendere noli, Impedit ira animum, ne possis cernere verum. *Cat. Lib. 2. Metr. 17.*
31. Vigilandum est semper, multæ sunt insidiæ bonis *Cic. Orat. 31. Plau.*
32. Verba tua pietate semper plena sint. *Sixt. Phil.*
33. Quod facere insti ueris, noli prædicare, nam si facere nequiveris ridcberis. *Sent. 114. Pytagoras.*
34. Hæret peccatum non in eo, qui monuit, sed in eo, qui non obtemperavit. *Cic. Divin. 1.*
35. Excelsô stat vita locô: nos ima sequentes. Vergimus ad mortem. *Petrar. Epist. Lib. 3.*
36. Mutare te loca, & in alium de alio transire nolo: quia tam frequens migratio, instabilis animi est. *Senec. Epist. 69.*
37. Juvandi, haud oppugnandi, qui nobis jecere fundamenta sapientiæ. *Scal. Exercit. 344.*
38. Inter loquendum non est agitanda manus, est enim vecordis. *Dioge. Lib. 1.*
39. Cùm grave est accusari, tum etiam si falso accuseris, non est negligendum *Cic. Orat. 23. pro Mur*
40. Evitanda est curiositas verborum. *Plat. de Regno.*
41. Legamus Authores cum reverentia antiquos, sine invidia recentes. *Sido Lib. 8. Cap. 11.*
42. Multa ignoramus, quæ non laterent, si Veterum Lectio nobis esset familiaris. *Macrob. Satur. 6.*
43. O quantum eruditorum aut modestia ipsorum, aut quies operit & subtrahit famæ. *Plin. l. 7. Epist. 25.*

44. Magìs in ſtudiis homines timor, quàm fiducia decet. *Idem 5. 17.*

45. Satius eſt, unum aliquid inſigniter facere, quàm plurima mediocriter. *Idem Lib. 9. Epiſt. 9.*

46. Ignoſcas aliis multum, tibì nihil. *Pittacus.*

47. Amicos ſecretò admone, palam autem lauda. *Senec. de Moribus.*

48. Maximum eſt ex ſe cæpiſſe. *Fab. Declamat. 13.*

49. Veris magna paretur fama bonis. *Luc. Lib. 9.*

50. Munificus laudis, ſed non ſis prodigus auri. *Claud. 4. Conſul. Hono.*

MUSA CALLIOPE applaudit, cum Lemmate:

Te cunctus Laurô perducit ad Aſtra triumphus.

Sil: Ital: Lib: 15. Bel: Pun:

QUid dicam de Te? vel quâ decorabo Coronâ
Virtutis lauru munera digna Tuæ.
Floreſcis clarè clarorum Floſcule florum,
Ex Te delicium Gracia Pallas habet.
Mitè Tuus vultus caſti dat ſigna pudoris,
In quibus elucet pulcher ab arte decor.
Hæc collecta tenes, quæ ſingula rite beatos
Efficiunt, ſuper his io triumphe! cane.

III. V.D. STEPHANO PINOCI,

Tertia Annorum Quinquagena exponitur

1. Semper ante oculos DEUS eſt habendus, ut ſic tanquam Illo ſpectante vivamus. *Senec. Epiſt. ultima.*

2. Cede locum læſæ fortunæ, cede potenti; Lædere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit. *Cato Lib. 4. Metr. 78.*

3. Dignus eſto eo qui te dignatus eſt Filium dicere, & age omnia ut Filius. *Sixt. Phil. Sent. 3.*

4. Voluptates repudiandæ ſunt, ſed moleſtiæ non recuſandæ. *Cic. Lib. de Finibus.*

5. In verbis ubi res poſtulat, eſto brevis. *Oven. Lib. 3.*

6. Satage non videri, ſed eſſe juſtus: certum eſt enim non eſſe eum, qui videri vult eſſe. *Sixt. Phil. Sent. 57.*

7. Tales ſani perſeveremus, quales nos futuros profite- *Plin. Jun: Lib. 7.*
mur infirmi.

8. Stude communiter omnibus bene facere. *Sixt. Sent. 251.*

9. Non alios culpemus, ſed noſmetipſos. Alios accuſare in calamitate ſua hominis eſt ineruditi, ſeipſum, ejus qui erudiri cœpit: Nec ſe autem, nec alium, eruditi. *Epictet. in Enchirid. C. 10.*

10. Da operam, ut quidquid neceſſe futurum eſt, nunquam invitus facias. *Senec. Epiſt. 62.*

11. Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori:
Difficiles aditus impetus omnis habet. *Ovid. de Remed. Amor.*

12. Si imbecillior eſt qui te læſit, parce illi, ſi potentior, ſibi. *Senec. de Ira Lib. 3.*

13. Cum dignitate potiùs cadamus, quàm cum ignominia ſerviamus. *Cic. Philip. 3.*

14. Audendum atq; agendum, non conſultandum in extremis malis. *Livius Lib. 22*

15. Sacratiſſimum omnium eſt Vir bonus, profaniſſimum contra, vir malus. *Plato Minoe.*

16. Non quantum, ſed qualiter quisq; vixerit intuendum. *Fulgent. Epiſt. 2da.*

17. Malunt colloqui cum pravis hominibus lingvæ potentibus quàm cum bonis garruli. *Plutar. de Gar:*

18. Multum intereſt, utrum vita tua otioſa ſit an ignava. *Senec. Epiſt. 56ta.*

19. Quotidie ſummæ tibi lucis oberret imago,
Ut rectè vivas & moriare bene, *In Del. Poët. Germ:*

20. Jube punire, non ſpecta. *Maximil. Fredro.*

21. Severitas amittit aſſiduitate authoritatem. *Idem.*

22. Non increpa, ſed graviter admone, & torvô aſpice oculô *Idem.*

23. In ruinam prona ſunt, quæ ſinè fundamentis jeceris. *Senec. Lib. de Ira Cap: 16.*

24. Cunctatio cùm nimia eſt, verendum eſt, ne inertiæ & deſidiæ vel etiam timiditatis nomen accipiat. *Plin. Lib. 2. Epiſt. 10.*

25. Non ſit par honos in diſpari merito. *Livius Lib. 32dò.*

26. Quæ poſſunt noxiè creſcere. celeriùs amputanda. *Caſſiod. 5. Epiſt. 38.*

27. Iter ad capeſſendos Magiſtratus ſæpe literis promovetur. *Symm. 1 Epiſt. 14ta.*

28. Quid faciendum ſit, à faciente diſcendum eſt. *Senec. Epiſt. 99.*

29. Ut in vita, ſic in ſtudiis pulcherrimum & humaniſſimum, ſeveritatem comitatemq; miſcere, ne illa in triſtitiam, hæc in petulantiam procedat. *Plin. Lib. 8. Epiſt. 21.*

30. Honesta dicta factis. *Plautus.*

31. Multum doctrinæ conferunt familiaritas, amor, admiratio. *Petrar. Epist. 19.*

32. Tu modò quos in spem statues submittere gentis,
Præcipuum jam inde à teneris impende laborem. *Virg. Georg. 3.*

33. Non potest aliqua in mundo esse fortuna, quam non augeat literarum gloriosa notitia. *Cassiod. Lib. 10. Cap. 3.*

34. Laudandi non qui improbi non sunt, sed qui omni genere virtutum præstant. *Isocrat. Panathen.*

35. Periculosum, in tot humanis erroribus solâ innocentiâ vivere. *Livius Lib. 1.*

36. Laus vera & humili sæpe contingit Viro. *Senec. Thyest. 2*

37. Illustrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari à quoquam licet. *Salvi. Lib. 6.*

38. Non debet iterari quod semel jussum est fieri. *Optat. Lib. 1.*

39. Opus est exactore malis admonitore bonis. *Senec. 7 Bene. 23.*

40. In pluribus nescias, utrum sit eorum detestanda pravitas, an optanda felicitas. *Minut. Pag. 356.*

41. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. *Senec. Cap. 5*

42. Ulteriora mirare, præsentia sequere. *Tacit. Lib. 4. Histor.*

43. Neminem oportet artem pudere proloqui, quam factitat. *Cic. Orator.*

44. Quid prodest foris esse strenuum, si domi malè vivitur. *Valer. Max. Lib. 2. Cap. 4.*

45. Sequendi sunt nobis Parentes, qui feliciter secuti sunt suos. *Symm. Relat.*

46. Quò magis eveheris, tantò magè deprime mentem
Sors cum blanditur, nectit iniqua dolos. *In Del. Poët. Germ.*

47. Facillimum cuilibet rei in ipso introitu obsistere. *Polyb. Lib. 3.*

48. Ubi proprium est, ibi commune perit. *Plutar. 2. Sympo. 10*

49. Patiare potiùs ipse quàm facias scelus. *Senec. Theb.*

50. Voce oppressos, defende potiùs quàm opprimas, & Patronum miserorum publicè age. *Maximil Fredro.*

MUSA MELPOMENE applaudit cum Lemmate:

\- - - - vincit cruentas
Innocuum Stephanoma palmas.
Ines in Lechiade.

Heroës

Eroës claros clari fecere triumphi,
Mars quibus exhibuit ſangvinolentus opem.
Sed ſuperant laurus data doctæ præmia fronti
Mavortis palmas, paxq́ trophæa parit.
Laurea perpetuos ſoleat meruiſſe triumphos,
Quæ tibi continuo parta labore venit.
Laureus inſtet honos hûic qui viget aureus arte,
Aurea ſint prope Te, ferrea luſtra procul.

IV. V. D. MELCHIORI SZAJOWSKI, S. R. M. SECRETARIO.

Quarta Annorum Quinquagena explicatur.

1. In omnibus tàm maximis quàm minimis, debet implorari auxilium DEI. *Plat. Tom. 3. Sizyg. 5. in Dialog.*
2. Inſipiens eſto, cùm tempus poſtulat, aût res, Stultitiam ſimulare locô prudentia ſumma eſt. *Cato Lib. 2. Metr. 44.*
3. Quod de alienis tractas ex tuis judices. *Senec. de Moribus.*
4. Acquire poſſeſſionem animæ firmam virtutem. *Sixt. Phil. Sēt 69*
5. Ad eos quos adverſa & iniqua fortuna premit, cupidè & ultro eundum eſt, nec expectandum uſq; dum voceris. *Ariſto. Lib. 9. de Mor. Cap. 11.*
6. Alium re, alium fide, alium gratiâ, alium præceptîs ſalutaribûs adjuva. *Senec. Lib. 1. de Beneff. Cap. 2.*
7. Tantum cibi & potionis adhibendum eſt, ut reficiantur vires non opprimantur. *Cato Major.*
8. Stude non ut plus aliis ſcias, ſed ut melius. *Senec. Epiſt. 89na.*
9. Revereatur vitam tuam mundus, nil admittas, quod tibi invehat notam. *Sixt. Phil. Sent 33.*
10. In omnibus quid tempora petant, conſiderandum eſt. *Cic. Lib. 2. d. Invent. Rhet.*
11. Libertatis genus eſt ſervire Rectori. *Caſſiod. Lib. 5. Epiſt. 16.*
12. Omnia quæ vindicaveris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. *Cic. Ver. 3.*
13. Princeps cæteris ſpecimen eſto. *Idem de Leg. 3.*
14. Tunc omnia jure tenebis, cùm poteris Rex eſſe tui *Clau. 4 Con. Hon.*

15. Non in verbis Philosophia sed in rebus est. *Senec. Epist 71.*

16. Deforme est, quos dignitate præstes, ab iis virtute superari. *Valer. Max. Lib. 3. C. 2.*

17. Errant consilia nostra, quando non habent, quô dirigantur. *Senec. Epist. 71.*

18. Si homo es, id quod es, semper esse te cogita. *Cur. Lib. 7.*

19. Cum à figulis munitam intraveris urbem, Sarcophagô contentus eris. *Juven. Sat. 10.*

20. Nunquam placidam sceptra quietem, certumve sui tenuere diem. *Senec. in Agame.*

21. Magìs desideres animæ spatia dilatare, quàm Regni. *Fulgent. Lib. ad Thras.*

22. Cùm multa quæsieris poterisne omnibûs frui? *Senec. 2. Controver. C. 1.*

23. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas. *Cur. Lib. 7.*

24. Qui veram gloriam adipisci vult, justitiæ fungatur officiis. *Cic. Off. 3.*

25. Quid tibi divitiis upus est? quæ te esurire cogunt. *Cur. Lib. 7.*

26. Meliori parendum, inferiori persvadendum, pari assentiendum. *Epictet. Pag. 222.*

27. Orator non aliter, nisi orando; Philosophus non minus tacendo pro tempore, quàm loquendo probatur. *Macrob. 7. Satur. imô.*

28 Incertum est, quô te locô mors expectet: itaq; tu illam omnî locô expecta *Senec. Epist. 26ta.*

29. Quid juvat armatum te strictô incedere ferrô,
Si, quæ sola potest vincere, mente cares. *In Del. Poët. Germ.*

30. Si proba mens famulis, postes obducere noli:
Si mala vel clausas firmiùs obde fores. *Ibidem.*

31. Loquaces & leviusculos tum vinolentos noli lacessere verbô. *Maximil Fredro.*

32. In publico populi consilio multa objecta sæpe solvuntur tacendo, multa respondendo, plurima non audiendo. *Idem.*

33. In gravioribus causis non quid respondeas, sed quemadmodum non respondeas? cogita. *Idem.*

34. Non est segnitie neq; mollitie remittendus animus. *Plat. Tom. 2. Dialog.*

35. Non altiori rei te imponas, in qua tibi stanti tremendum, ascendenti cadendum sit. *Senec de 4. Virt.*

36. Noli citò loqui, est enim insaniæ indicium. *Bias.*

37. Non aspernandi sunt pauperes, satis ipsis in ipsa paupertate est mali. *Demost. contra Eub.*

38. Caven-

38. Cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, neq; adulari nos sinamus, in quo falli facile est. *Cic. Lib. 1mò Off.*

39. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cùm placuerit fieri: toto illum pectore admitte, tàm audacter cum illo loquere, quàm tecum. *Senec. Epist. 3.*

40. Firmandus est animus ad dolorem ferendum. *Cic. Lib. 1mò Tuscul.*

41. Memento sic in vita esse versandum, tanquam in convivio: si quid enim circumferendo ad te pervenerit, porrecta manu partem modestè capito: præterit? ne detine: nondum adest? ne longe appetitum extendito: sed expecta dum ad te perlatum fuerit. *Epicst. in Enchi. 21.*

42. Irascitur aliquis, tu contra beneficiis provoca. *Senec. Lib. 2. de Ira. C. 34.*

43. Nosce te esse hominem, fer mansvetè fortunam. *Cic. Lib. 4.*

44. Consilia tibi salutifera advoca. *Senec. de 4. Virt*

45. Despice divitias, si vis animô esse beatus. *Cat. Lib. 4. Metr. 3.*

46. Servis tuis hilarem te præstes, non & superbè superiorem, colant te potiùs quàm timeant. *Senec. Epist. 47*

47. Si contra mortem te præparaveris, faciet te firmum assidua meditatio. *Idem Epist. 82da.*

48. Inimicitias tardè suscipe, amicitias exerce moderatè. *Idem de Moribus.*

49. Cùm quid peccâris castiga te ipse subinde:
Vulnera dum sanas dolor est medicina doloris. *Cat. Lib. 4. Metr. 80.*

50. Ne gaudeas vanis, fundamentum hoc est bonæ mentis etiam culmen. *Senec. Epist. 2.*

THALIÆ MUSÆ plausus cum Lemmate:

Arripuit traxitq; Virum fax mentis honestæ Gloria.
Sil: Ital. Lib: 6. Bel: Pun.

EXcitat omnis honos animum, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.
Laurea prima bonos stimulum tibi præbet ad ausus
Quam meritis plenus conspicuusq; capis.
Est Tua collectis virtutibûs aucta juventa,
Quales non omnes promeruere senes.
Culmen adibit honos, modò rectis gressibûs insta,
Providus & voti contrahe vela Tui.

V. V. D.

V. V.D. BLASIO JOSEPHO BARCZYKIEWICZ,

Quinta Annorum Quinquagena enumeratur.

1. DEUS fortioribus adest. *Tacit. Hist. Lib. 4.*
2. Primum considera cujusmodi res sit, quam aggredi volueris, deinde ferrene tua natura eam quoq; queat, explora. *Epict. in Enchir. Cap. 36.*
3. Nunquam multis placeas, sed quibus stude. *Senec. de Mori.*
4. Fidelis volens esse, præcipue quidem hoc nitere, ne pecces; quod etiam si fortè acciderit, saltem cave ne iteretur hoc ipsum. *Sixt. Phil. Sent. 238.*
5. Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento. *Cat. Lib. 2. Metr. 21.*
6. Esto multorum, solus tibi notus amicus,
   Et quod vis alios, ipse silere, sile. *Oven. in Appē. Epigram.*
7. Affabilem te dum vivis omnibus, desiderabilem cum excesseris redde. *Senec. Lib. 3. de Ira*
8. Promissa servanda non sunt, si tibi plùs noceant, quam illi prosint, cui promiseris. *Cic. Libr. 1. Offic.*
9. Quæ mundi sunt mundo, & quæ DEI sunt reddantur DEO. *Sixt. Phil. Sent. 17.*
10. Oportet in omnibus rebus præstabiliorem imitari. *Arist. Lib. 9. Ethic.*
11. Utendum est divitiîs non abutendum *Senec. de Moribus.*
12. Oportet privatîs utilitatibûs publicas; mortalibus æternas anteferre. *Plin. Lib. 7. Epist.*
13. Relinque corporis atq; animi voluptates, molliunt enim & enervant. *Senec. Epist. 84.*
14. Ne quid esse videri velis, quod si quid aliis esse videaris, ipse tibi diffidito. *Epict in Enchir.*
15. Quod bonum est hoc solum te decere puta. *Sixt. Phil. Sent. 186*
16. Laborandum est, ut animum nostrum formare incipiamus & corrigere, antequam indurescat pravitas ejus. *Senec. Epist. 50*
17. Opta tibi evenire non quod vis, sed quod expedit *Sixt. Phil. Sent. 80.*
18. Assvesce & dicere verum, & audire *Sene. Epist. 68.*
19. Projice omnia vana si sapis, imò ut sapias: & ad bonam mentem magno cursu, ac totîs viribûs tende. *Idem Epist. 17.*
20. Hoc tibi ante diem mortis pæsta, ut moriantur in te vitia. *Idem Epist. 27.*

21. Te

21. Te igitur emenda, onera tibi detrahe, & desideria saltim intra modum contine, omnem ex animo eradas nequitiam. *Idem Epist. 104.*

22. Danda est opera ut omnes intelligant, (si salvi esse velint) necessitati esse parendum, non voluptati. *Cic. Lib. 2. Off.*

23. Scribe, ut dum scripseris legas, omnia ad mores & ad sedandam rabiem affectuum referas. *Senec. Epist. 89.*

24. Quod malè fers, asvesce feres bene, multa vetustas lenit. *Ovid. 2. de Ar am.*

25. Incontaminatum custodi corpus tuum, tanquam si indumentum acceperis à DEO, & sicut vestimentum corporis immaculatum servare stude. *Sixt. Phil. Sent. 429.*

26. Hoc à te exige, qualem statum institueris, præstare te talem usq; ad exitum, serves. *Senec. Epist. 120.*

27. Simplicitate opus est, & benigna rerum æstimatione. *Idem Lib. 2. de Ira Cap. 24*

28 Quidquid de te dictum fuerit id ne curato; id enim non jam tui est arbitrii. *Epict. in Enchir. Cap. 74.*

29. Animi tui motus corporisq; observa, ne indecori sint. *Sen. de 4. Virt.*

30. Plus vigila semper, nec somno deditus esto. *Cat. Lib. 1. Metr. 3.*

31. Doce posse fieri, imò sæpe fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit. *Senec. Epist. 49.*

32. Hanc sanam & salubrem formam vitæ teneto, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis sit. *Idem Epist. 8.*

33. Cùm sapias animo, noli irridere senectam,
Nam quicunq; senet, sensus puerilis in illo. *Cat. Lib. 1. Metr. 38.*

34. Experimentum tui profectus capias, non oratione nec scripto, sed animi firmitate. *Senec. Epist. 20.*

35. In omnibus negotiis priusquàm aggrediare quidquam, adhibenda est præparatio diligens. *Cic. Lib Off.*

36. Mittamus animum ad illa quæ æterna sunt, miremur in sublime volitantes rerum omnium formas, Deumq; inter illas versantem & providentem. *Senec. Epist. 58.*

37. Ita perficiendum est, si quid agere aut efficere vis, ut homines te non solùm audiant, verùm etiam libenter studioseq; audiant. *Cic. Orat. 4. pro Cæc.*

38. Non est contemnenda fortuna hominis, in quam, dum contemnimus, transire possumus. *Senec. Epist. 47.*

39. Libenter feras quod necesse est, dolor patientiâ vincitur. *Idem de Moribus.*

40 Unusquisq; honorem reddat Parentibus, oportet: nemo enim unquam dignum reddere potest *Arist. Lib. 8. Ethic.*

41. Non aspicias quam plenas quisq; manus DEO, sed quàm puras admoveat. *Senec. in suis Proverb.*

42. Munera si tribuis, non specta muneris usum:
Si capis, unde datum & qua ratione, vide. *In Del. Poët. Germ.*

43. Non multa fac, sed magna est notabilia. *Maxil. Fredro*

44. Necesse est rectum fieri, quidquid applicatur ad sanam regulam. *Philo de Gigant.*

45. Non potest turpis mors forti viro accidere, neq; misera sapienti. *Cic. in Salust.*

46. Tota Philosophorum vita commentatio mortis est. *Idem Tuscul. 1.*

47. Miremur periisse homines! monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis arboribusq; venit. *Auson. Epigrã. 4.*

48. Potest ingenium fortissimum & beatissimum sub qualibet cute latere. *Senec. Epist. 66.*

49. Onerosum, educationis tædium, laboremq; suscipere. *Plin Lib. 1. Epist. 88.*

50. Scire volunt omnes mercedem solvere nemo. *Juven. Satyr 7.*

MUSA ERATO applaudit cum Lemmate:

Ad magnum virtutis opus componito vires.

Lucanus Lib: 9.

ARtibûs ac annîs alios præcellis JOSEPH,
Par ætas animo, par animusq; Tibi.
Est mentis gravitas majestas est simul oris,
Hæc bene gesta decet, dicta decorat ea.
Semina virtutes in Te jecere venustæ,
Fruge Scientifica dives & auctus eris,
Ex hac consurgent ingenti parta labore
Præmia, distentîs viribûs ultro Tibi.

VI. V. D.

VI. V. D. THOMÆ PAGACZEWSKI,

Sexta Annorum Quinquagena exhibetur.

1. Sic vive, ut possis vitam expectare futuram: *In Del. Poët. Germ.*
Vive DEO, Ille tibi vita perennis erit.
2. Facere docet Philosophia non dicere. *Sene. Epist. 20.*
3. Cave, deformes multa bona uno vitio. *Liv. Lib. 30.*
4. Morum quos, fecit, præmia Doctor habet. *Ovid. Fast: Lib 5.*
5. Ante circumspiciendum, cum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas. *Senec. Epist. 19na.*
6. Calamitas æquô animô ferenda est, & si quid humanitus contigerit, non est impatienter lugendum. *Plat. Tom. 2. in Dialog.*
7. Criminationes adversus sapientiæ studiosum noli admittere. *Sixt. Phil. Sent. 250.*
8. In hoc incumbe, ut libentius audias quam loquaris. *Senec. de Moribus.*
9. Risus ne sit multus, nec ob multa, nec effusus. *Epict. Cap. 43.*
10. Habenda est ratio rei familiaris, quam quidem dilabi sinere, flagitiosum est. *Cic. Lib. 2. Off.*
11. Claudendæ sunt aures malis vocibus & quidem primis, nam cùm initium fecerunt admissæq; sunt, plus audent. *Senec. Epist. 123.*
12. Non verbum sed ratio præcedat actus tuos. *Sixt. Phil. Sent. 66.*
13. Quem superare potes interdum vince ferendo. *Cat. Lib. 1. Metr. 74.*
14. Non sit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas *Senec. de 4. Virt.*
15. Quæ scis teneas & observes, ut scias melius. *Plin. Lib. 8. Epist.*
16. Sapientem hominem tanquam DEI Ministrum honora post DEUM. *Sixt. Phil. Sent. 303.*
17. Neminem susurro appetas, neminem suffodias, palam aggredere. *Senec. de 4. Virt.*
18. Temperantiam exerce. *Chilo in Dicter Sapien.*
19. Sit tibi præcipuè, quod primum, cura salutis, *Cat. Lib. 2. Metr. 66.*
Tempora ne culpes, cùm sis tibi causa doloris.
20. Occurrendum augescentibus vitiis, & medendum est: *Plin. Lib. 9. Epist.*
21. Amabilis eris DEO, si in hoc Illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, & nulli nocere. *Senec. de 4. Virt.*
22. Prospice qui veniunt, hos casus esse ferendos, *Cat. Lib. 2. Metr. 55.*
Nam leviùs lædit quidquid prævidimus ante.
23. Insvesce te ipsum corpori præbere quæ sunt castè, & animæ quæ sua sunt piè. *Sixt. Phil. Senr. 398.*

24. Omnia consilia atq; facta ad virtutem referamus. *Cic. Orat. 56 Philip.*

25. Eum elige adjutorem, quem magis admireris, cùm videris, quàm cùm audieris. *Senec. Epist. 52.*

26. Tempora longa tibi noli promittere vitæ, *Cat. Lib. 4. Metr. 74.*
Quocunq; ingrederis sequitur mors, corpus ut umbra.

27. Auribus frequentiùs quàm lingvâ utere. *Sen. de Morib.*

28. Intellige quæ sunt bona, ut bene agas. *Sixt. Phil. Sent. 49.*

29. Mediocritatem in vita sequi oportet, non excessus. *Arist. Lib. Polit.*

30. Cura ut vir sis, & cogita quem in locum sis progressus, & vide quid jam sit necesse fieri. *Cic. Orat. 3. in Catilin.*

31. Quod donare potes, gratis concede roganti. *Cat. Lib. 4. Metr. 19.*

32. Gere morem Parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera Legibus. *Cic. Lib. 4. in Reth.*

33. I quà cæpisti, & in isto te vitæ habitu componas placidè non molliter. *Senec. Epist. 82.*

34. Servorum ob culpam cum te dolor urget in iram: *Cic. Lic. 1. Metr. 72.*
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.

35. Infelicem erige, submitte felicitatem. *Senec. de Moribus.*

36. Quod fieri necesse est, voluntariè sacrificato. *Sixt. Phil. Sent. 375.*

37. Zelum de DEO tantùm habeas, non contra homines. *Sene. in Prover.*

38. Sic certè vivendum est; tanquam in conspectu vivamus, sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit. *Senec. Epist. 83.*

39. Fac tibi proponas mortem non esse timendam *Cat. Lib. 3. Metr. 47.*
Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum.

40. Si in ipsa re trepidare nolueris ante rem exerce. *Senec. Ep. 18.*

41. Ne quæras fraude ditescere. *Thales in Sentt.*

42. Afflictis palam condole, sed tamen sinè injuria affligentis. *Maximil. Fredro.*

43. Ne cures si quis tacito sermone loquatur, *Cat. Lib. 1. Metr. 32.*
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

44. Lauda parce, vitupera parciùs, nam reprehensibilis est nimia laudatio. *Senec. de 4. Virt.*

45. Nullius artem reprehende, quod vel maximè offendit. *Maximil Fredro.*

46. In defunctum maledicta non congerito. *Solon: Sent. 9.*

47. Dum punis, privatim puni, dum parcis, publicè parce. *Maximil. Fredro.*

48. Instru-

48. Instruenda est vita exemplis illustribûs. *Senec. Epist. 83.*
49. Nil metuas insons vitæ confisus honestæ. *In Del. Poët. Germ.*
Subjicitur nullis mens bona æquaminis.
50. Dilige sic alios ut sis tibi charus amicus. *Cat. Lib. 1. Metr. 21.*

MUSA EUTERPE applaudit cum Lemmate:
Labor est materia virtutis & gloriæ, hunc qui rejicit illas rejicit.
Petrar: de Rem: Utri: Fort: Lib: 1. Cap: 21.

VIrtutes reprimunt & laudes otia tetra,
Assiduus verò jungit utrumq; labor.
Ne jaceat molli veneranda scientia lectô,
Excubias peragit mens vigilatq; Tua.
Tullius atq; Maro fidum Te noscit alumnum,
In Cursu Sophico non remorare pedem.
Bina proin soboles unitim Gloria Virtus
Te ad celsos relevet promoveatq; gradus.

VII. V. D. CASIMIRO BYKOWSKI,
Septima Annorum Quinquagena enumeratur.

1. Doctrinam ex qua proficere potes, in amore DEI illam necessariò expete. *Sixt. Phil. Sent. 244.*
2. Sis vanæ gloriæ contemptor, & bonorum quibûs præditus es, non acerbus exactor. *Senec. de 4. Virt.*
3. Indulgere, gulæ noli quæ ventris amica est. *Cat. Lib. 4. Metr. 28.*
4. Mansvetè immansveta, tractanda sunt, *Arist. Lib. 3. de Ira C. 4.*
5. Vis DEUM propitiare, bonus sis. *Senec. Epist. 95.*
6. Feras quod lædit, ut quod prodest perferas. *Plin. nor. Sent. 145.*
7. Ab his incipe, quæ non auferas, sed aliis ablata restituas. *Senec. de 4. Virt.*
8. Justitiam ama & verax sis, quo magis fidem rebus tuis pares, *Maximil. Fredro.*
9. Quod tibi suspectum est, confestim discutè, quid sit. *Cat. Lib. 4. Metr. 20.*
10. Cavendum si ipse ædifices, ne extra modum sumptu & Magnificentiâ prodeas. *Cic. Lib. 1. Off.*

11. Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non jactaveris. *Senec. Epist. 95*

12. Ea posside, quæ nullus possit auferre à te. *Sixt. Phil. Sent. 110.*

13. Ne decipiaris, mature cogita te deceptum iri. *Maximil. Fredro.*

14. Respice celeritatem rapidissimi temporis, cogita brevitatem hujus spatii, per quod citatissimi currimus. *Senec. Epist. 99. Senec. Epist. 95.*

15. Quæ nocitura putas quàmvis sint chara relinque. *Cat. Lib. 1. Metr. 11.*

16. Sis politicus, non tamen ut te Catholicum esse obliviscaris. *Maximil. Fredro.*

17. Esto vitiorum fugax, aliorum verò neq; curiosus scrutator, neq; acerbus reprehensor. *Senec. de 4. Virt.*

18. Si benignus fueris erga indigentes, magnus eris apud DEUM. *Sixt. Phil. Sent. 45.*

19. Amicos beneficiis fove, quô fiant amicitiores: inimicis bene fac, quô fiant amici. *Cleb. Lind. S. 1.*

20. Privatum otium, & exercitia tui cubiculi sint gravia. *Maximil. Fredro.*

21. Testimonium veritati non amicitiæ reddas. *Senec. de 4. Virt.*

22. Castorum vita sit tibi honestatis exemplum. *Sixt. Phil. Sent. 272.*

23. Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda. *Senec. L. 6. Quæ: C. 2.*

24. Cùm te aliquis laudat, judex tuus esse mento. *Cat. Lib. 1. Metr. 24.*

25. Nec tibi deliciæ cordi nec stulta voluptas.
Sunto, sed ut sana mente fruaris, age. *In Del. Poët. Germ.*

26. Omnia cum amico delibera, sed de te ipso priùs. *Senec. L. 2. Off.*

27. Cogita quid antecedere, quid sequi soleat, atq; ita rem gerendam suscipito. *Epict. in Enchir. Cap. 33.*

28. Quorum laudes contemnis, eorum neq; derogationes magni pendas. *Sixt. Phil. Sent. 289.*

29. Amare sic incipe, tanquam non liceat desinere. *Senec. de Moribus*

30. Conserva potiùs quæ sunt jam parta labore
Cùm labor in damno est; crescit mortalis egestas. *Cat. Lib. 1. Metr. 76.*

31. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum abstrahendus. *Senec. Epist. 51.*

32. Ira procul absit, cum qua nihil rectè fieri nihil considerate, potest. *Cic. Lib. 1. Off.*

33. Cumq; reus tibi sis, ipsum te judice damna. *Cat. Lib. 3. Metr. 78.*

34. Ea debes velle, quæ & DEUS vult. *Sixt. Phil. Sent. 126.*

35. Plus aliis de te, quàm tu tibi credere noli. *Cat. Lib. 1. Metr. 28.*

36. Rumo-

36. Rumoribus, criminibus, suspicionibus, minimè sis credulus. *Senec. de 4. Virt.*
37. Nunquam servilis Sententiæ author sis & fautor. *Maximil. Fredro.*
38. Mater opum fama est, vulgari nixa favore:
Quære igitur famam, qui tibi quæris opes. *In Del. Germ.*
39. Nisi ô Fili tuum corpus oderis, te ipsum amare non poteris, quam primùm verò non te, sed DEUM Ipsum dilexeris. *Trism. de Potest. DEI.*
40. Ingratitudinem cave, tanquam maximum crimen ne admittas. *Senec. Lib. 1. de Benef.*
41. Pro Divinis maximè, & bonô zelô certabis. *Maximil. Fredro.*
42. Infantem nudum cùm te natura creârit.
Paupertatis onus patienter ferre memento. *Cat. Lib. 1. Metr. 40.*
43. Pudicitiam præ cæteris sobrietatemq; sectari, tam laudandum in juvene, quàm rarum. *Sido Lib. 7. Epist. 2.*
44. Animum debes mutare non Cælum: licèt vastum trajeceris mare, sequuntur te quocunq; perveneris vitia. *Senec.. Epist. 28.*
45. Renuntia rebus corporis, dum adhuc potes: & quantum potes. *Sixt. Phil. Sent. 27.*
46. Mutaturus sententiam, dic, utilitati publicæ te studere, non vulgi opinioni. *Maximil. Fredro.*
47. In te deflectas oculos; te noveris ipsum,
Ut stet judiciô causa aliena tuô. *In Del. Poët. Germ.*
48. Non facias tui juris, quod alienum est. *Senec. Epist. 77*
49. Multa legas: facito, perlectîs perlege multa. *Cat. Lib. 3. Metr. 39.*
50. Uno tempore multa ne suscipias agenda, non enim perficies; & argueris incepti. *Maximil. Fredro.*

MUSA TERPSICHORE applaudit cum Lemm:

--- placido posuere in pectore sedem
Blandus honos, hilaris virtus.
Stat: Lib: 2. Sylv.

ELoquar haud sileam morum benegesta Tuorū,
Res agitur de animo de studioq; Tuo.
Pallas Te multum dilexit, quando disertum
Præbuit os, solvis dogmata docta simul.

Ergo quò virtus stimulat, procede secundo
Passu, responde dotibus ipse Tuis.
Tullius ad celsos faustum Te ducat honores,
Palladi Craciacæ prosper ubiq; nite.

VIII. V. D. NEPOMUCENO TRABSKI,

Octava Annorum Quinquagena exponitur.

1. DEUS ante omnia invocandus. *Plato de Legibus.*
2. Quod justum est petito, vel quod videatur honestum, Nam stultum est petere id, quod possit jure negari. *Cato Lib. 1. Metr. 60.*
3. Cum omnia possimus, sola credamus licere nobis laudanda. *Maximil. Fredro.*
4. Nihil pretiosum ducas, quod auferre possit à te homo malus. *Sixt. Phil. Sent. 122.*
5. Amicis nostris justa cupientibus usui esse debemus. *Symm. Lib. 5. Cap. 37.*
6. Nostra post mortem non opuscula, sed opera pensanda meminerimus. *Sidon. 8. Epist. 4.*
7. Multò satiùs paucis te authoribus tradere, quàm errare per multos. *Senec. de Trāq. anim. 9.*
8. Exue curîs pectus, & assiduò temet furare labori. *Stat. L. 4. Sylv.*
9. Fama citat laudem, laus præmia, præmia mentem, Mens studium, studium dogmata, dogma decus. *Tobias.*
10. Temporis præcipua nos docet parsimonia. *Philo de Vita Contempl.*
11. Diu secretus delibera, nec pudori sit, frustra tentâsse, citò verò deliberatum fac, ne præveniaris. *Maximil. Fredro.*
12. Omnis honos onus est, fasces & munia casses: Qui placidè velles vivere, vive domi. *In Del. Poët. Germ.*
13. Id agamus, ut meliorem vitam sequamur, quam vulgus. *Senec. Epist. 5.*
14. In secundissimis rebus maximè est utendum consiliô amicorum. *Cic. Lib. Off.*
15. Malè de te loquentes vinces humanitate & affabilitate, potiùs quàm ut omnino avertas. *Maximil. Fredro.*
16. Virtuti æternæ mortales præfer honores, Sunt nihil; hanc illis, qui sapis anteferas. *In Del. Poët. Germ.*

17. Quod

17. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. *Senec. de Morib.*
18. Etiam in cogitationibus tuis mundus esto. *Sixt. Phil. Sent. 50.*
19. Sui ipsius sit priùs bonus custos, qui alios custodire cupit. *Plat. Tom. 1. de Republi.*
20. A turba quantum potes te separa. *Senec. Lib. 4. Quæst.*
21. Utere quæsititis modicè, cùm sumptus abundat, Labitur exiguo, quod partum est tempore longo. *Cat. Lib. 2. Metr. 42.*
22. Sic vivamus, sic loquamur, ut paratos nos inveniat, atq; impigros fatum. *Senec. Epist. 107.*
23. Mediocritatem in vita sequi oportet, non excessus. *Arist. Lib. 5. Polit.*
24. Sis occultator virtutum, sicut alii vitiorum. *Senec. de. 4. Virt.*
25. Observa leges citra piaculum non violandas. *Epict. Enchir. Cap. 54.*
26. Tollenda ex animo suspicio & conjectura, fallacissima irritamenta. *Sen c. Lib. 3. de Ira.*
27. Quotidie pridie caveas, ne facias quod pigeat postridie. *Plautus.*
28. Ne culpam malis addas. *Liv. Lib. 8.*
29. Qui secundos optat eventus, dimicet arte, non casu. *Veg. Lib. 3. Præf.*
30. Non congrediaris cum eo sæpius quem majorem te credis, ne authoritas tua ex comparatione vilescat. *Maximil. Fredro.*
31. Quid numeras annos: usum, non tempora specta: Lux bona plus, septem quàm mala lustra valent. *In Del. Poët. Germ.*
32. Ebrietatem quasi insaniam fuge. *Sixt. Phil. Sent. 261.*
33. Quid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris? turbam, nunquam illi te tutò commiseris. *Sen. Epist. 7.*
34. Si vis gratos habere quos obligas, non tantùm des oportet beneficia, sed & ames. *Idem Lib. 1. de Benef.*
35. Inter pocula non est admonendum. *Plutar. de amic.*
36. Quod meritò pateris patienter ferre memento. *Cat. Lib. 3. Metr. 37.*
37. Relinquens quæ possides, sequere Verbum DEI. *Sen. Sēt. 275.*
38. Aliquis vir bonus nobis diligendus, pro exemplari virtutis, ante oculos habendus, imitando. *Maxil. Fredro.*
39. Læsus es, hinc ultum properas? vindicta parata est: Mitte animô noxas & bona redde malis. *In Del. Poët. Germ.*
40. Ita vive, ut nihil mali committas. *Senec. Epist 3.*
41. Hæc posce à DEO, quæ dignum est, præstare DEUM. *Sixt. Phil. Sent. 111.*

42. A teneris consvescere, multum est. *Virg. 2. Georg. Gvil. Gest.*
43. Qui non facit cum potest, non facit quando vult, *Phil. 496.*
44 Aliquo semper opere insidiantis otii rubigo tergenda est. *Pacat. in Panegyri.*
45. Nulla munera aut officia ignaro te distribuantur, ne alteri sed tibi beneficium debeatur. *Maximil. Fredro.*
46. Non delectent verba nostra sed prosint. *Senec. Epist. 75*
47. Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea etiamsi per plures Deos juret, non oportet. *Cic. Orat. 3. pro Rabir.*
48. Juva omnimodè afflictum amicum, ut bene illi, tecum esse, videare. *Maximil. Fredro.*
49. Quod pati non vis ab alio, neq; id facias. *Sixt. Phil. Sent. 169.*
50. Det tibi ætatem DEUS quam mereris, servetq; animum, quem dedit. *Plin. in Panegyr.*

Plausus MUSÆ POLYHIMNIÆ cum Lemmate;

Indolis agnosco vestigia Magnæ.

Claud: de 4. Consul: Honor.

INgeniô velox Juvenis velocior arte ?
Excedis Musæ mente capace metrum.
Ornat Te virtus studio conjuncta fideli,
Splendidus ornat Te cum pietate nitor.
Doctrinâ sequeris Clari vestigia Fratris,
Quem fovet in gremio Nostra Palæstra suo.
Procedes factis pariter fastisq; legendus,
Dotibûs excelsîs cùm Tibi pandis iter.

IX. V. D. STANISLAO JAGIELSKI,

Nona Annorum Quinquagena modernô sæculô continuanda explicatur.

1. Ad Unum Solumq; DEUM tendamus, incomparabile enim Bonum est, sinè termino, infinitum. *Trism Lib. 1. de Potent. Dei.*
2. Unicuiq; adversus se ipsum, tanquam hosti adversus hostem, est decertandum. *Plat. Lib. 1. de Leg.*

3. Vivere

3. Vivere totâ vitâ discendum est, & quod magis miraberis, totâ vitâ discendum est mori. *Sen. de Brev. vita Cap. 7.*

4. Ne pudeat, quæ nescieris, te velle doceri. *Cat. Lib. 4. Metr. 59.*
Scire aliquid laus est, pudor est nil discere velle.

5. Reconciliatio tua & facilis sit & certa. *Sen. Epist. 105.*

6. Non omnium quandoq; rerum scientem te simula agendo, otioso simillimus. *Maximil. Fredro.*

7. Etiam oblivisci, quid scis interdum expedit. *Mim. Publ. in Sent.*

8. Nec te criminibus, nec eorum subde Magistris, *In Del. Poët. Germ.*
Ne morbum ex illa peste subinde trahas.

9. Nullus scit, mihi crede, quanta nescit. *Sidon. Carm. 9.*

10. Justus ut sis, non solùm non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis *Senec. de 4. Virt.*

11. Non te impediat à benefaciendo homo ingratus. *Sixt. Phil. Sen. 319.*

12. Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse, *Cat. Lib. 1. Metr. 56.*

13. Percussit te quis, recede; referiendo enim, occasionem sæpiùs ferendi dabis. *Senec. Lib. 2. de Ira.*

14. Suum cuiq; incommodum ferendum est potiùs quàm de alterius commodis detrahendum. *Cic. Lib. 3. Off.*

15. Importuna excusatio, est accusatio sui vel alterius opportunissima. *Maximil. Fredro.*

16. Ne sis ventosus, dum vis urbanus haberi. *Cat. Lib. 1. Metr. 49.*

17. Non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem. *Cic. Lib. 6. Epist.*

18. Contentus esse mediocribus stude. *Sixt. Sent. 82*

19. Quidquid facies respice ad mortem. *Sen. Epist. 114.*

20. Audacter roga DEUM bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. *Idem Epist. 10.*

21. Mordebis neminem ore, calamô, vultu, accusabis neminem, sed potiùs modicè laudabis quemq; *Maximil. Fredro.*

22. Ei qui beneficium dederit, referendum beneficium est, & rursus qui accepit, alterum beneficiò provocare debet. *Arist. Lib. 4. de Morib.*

23. Quantùm laboras pro corpore, si tantùm labores pro anima, sapiens eris. *Sixt. Phil. Sent. 29.*

24. Si prosis multis, multum tibi proderis ipsi, *In Del. Poët. Germ.*
Hac una firmæ lege parantur opes.

25. Titulos inusitatos sperne, oblatos modicè excusa, nam sunt prope invidiam. *Maximil. Fredro.*

26. Misce stultitiam consiliis brevem. *Horat. Lib. 4 Od. 12.*
27. Somnia ne cures: nam mens humana quod optat; *Cat. Lib. 2. dist. 68.*
dum vigilat sperans; per somnum cernit id ipsum.
28. Judicaturus lites, nihil profer præter decretum. *Maxim. Fredr.*
29. Quidquid præcipies esto brevis, ut citò dicta *Horat. in Arte Poë:*
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
30. Adulatorum sermo vitandus multùm enim nocet. *Senec. Epist. 123.*
31 Parva peccata & si voluntaria fuerint, ignoscenda: *Arist. Lib. 2. Oecon. Ca. 2.*
si quis verò per ignorantiam deliquerit, commone-
faciendo corrigatur.
32. Ab asperioribus verbis cave, verum mollioribus *Maximil. Fredro.*
utere.
33. Omne tempus quô de DEO non cogitas, hoc pu- *Sixt. Phil. Sent. 47.*
ta te perdidisse.
34. Dives opis natura suæ, tu si modo rectè dispensare *Horat. Satyr. 1.*
velis.
35. Haud firmam amicitiam aut diuturnam parari cre- *Maximil. Fredro.*
de, quam dando retines.
36. Qualem vis esse proximum tuum tibi, talis esto & *Sixt. Phil. Sen. 81.*
tu tuis proximis.
37. Si vis aliquem æstimare totumq; scire qualis sit, *Senec. Epist. 80.*
faciem solve, multum enim mali sub illa latet.
38. Gratificandum potiùs est pauperi quàm diviti, seni *Plat. Tom. 3. in Dialog.*
quàm juveni.
39. Non ferulâ cædas, meritum majora subire verbera. *Horat. Satyr. 1.*
40. Quantum potes te ipsum coargue. *Senec. Ep 28.*
41. Cave inimicos laudantes, nam quò incautiùs deci- *Maxi: Fredro.*
piant, palam laudant.
42. Quod præstare potes, ne bis promiseris ulli. *Cat. Lib. 1.*
43. Veritatem dilige, nihil tam vernaculum sapientiæ, *Sixt. Sent. 148.*
quàm veritas.
44. Sicut in benefactis laudari vis, ita in delictis pati- *Idem Sent. 288.*
enter accipe, si culperis.
45. Sis in adolescentia continens, in media ætate justus, *Sodiad. 1*
in senectute sapiens, in morte sine dolore. *Senec. de 4. Virt.*
46. Dicentium esto tacitus auditor, audientium prom-
ptus receptor.
47. Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus *Idem de Moribus.*
vivere.

48. Discere

48. Diſcére ne ceſſes, curâ ſapientia creſcit. *Cat. Lib. 4. Metr. 55*
49. Laborandum eſt, vigilandum, ſudandum, iterum iterumq; enitendum, ut doctiſſimorum Virorum auctoritate ſua vocatione dignus Profeſſor approbetur. *Joann. Cynerſcius.*
50. Finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes. *Senec. Epiſt. 119.*

MUSA URANIE applaudit cum Lemmate:

- - - - Nullîs eſt clauſa ſcientia metîs.

Marcel: Paling: Lib: 10.

NOn adeò celſâ Sapientia ſedit in arce,
Ne poſſet propiùs mente ſagace peti.
Ultimus es numerô, ſociatos inter alumnos,
Ultimus ingeniô, non tamen eſſe potes.
Docto cum doctis Muſis Tibi ducitur ætas,
Omnis & in ſtudium lætior hora vacat.
Hinc: cum claudatur nullis ſapientia metîs,
Appendix, ſed non finis, honoris ades.

Sub optimis Auſpiciis

MAGNIFICI PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI.

D.M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Eccleſiarum; Cathedralis Cracovienſis CANONICI, Collegiatæ Sanctorum Omnium PRÆPOSITI, Parochialis in Czerniechow CURATI, Contubernii Hieroſolymitani & Scholarum Novodvorſcianarum PROVISORIS, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORIS, Studii Generalis, Univerſitatis Cracovienſis Vigilantiſſimi

RECTORIS.